

AD COGNITIONEM CAPSIDARUM

SCRIPSIT

O. M. REUTER.

I.

CAPSIDAE JAVANICAE.

Species sequentes in montibus Tenggir dictis partis orientalis insulæ legit D. H. Fruhstorfer mecumque communicavit D. Dr Bergroth.

1. *Lasiomiris* nov. gen.

Corpus elongatum, parallelum, sat deplanatum, superne longe pilosum. Caput a latere visum altitudine longius, ab antico visum latitudine cum oculis paullo longius, vertice linea longitudinali aliaque posteriore transversali impressis, fronte apice anguste rotundata et supra basin clypei sat longe producta, a clypeo incisura acutangulari discreta. Oculi ab apice pronoti leviter distantes. Rostrum apicem coxarum posticarum subbattingens. Antennæ corpore longiores, articulo primo longe piloso, capite parum longiore, tertio secundo longiore. Pronotum capite multo longius, limbo lateralí sat anguste reflexo, apice profunde sinuato, basi truncata, disco obsolete punctulato. Scutellum laeve, basi detecta. Pedes longe pilosi, tibiis omnibus spinulis destitutis.

Genus corpore superne cum hemielytris longe pilosis, pronoto obsolete punctato, sed margine basali truncato, scutello laevi a reliquis divisionis *Miraria* mox distinguendum.

L. lineaticollis n. sp.

Inferne flavus, vitta utrinque laterali corpus percurrente pectoreque utrinque badiis, pedibus fuscis; superne fusco-ferrugineus, cum hemielytris longe et erecte albido pilosus;